

SUPREME TRIBUNAL OF THE APOSTOLIC SIGNATURA, Prot. n. 55648/21 CA,
Prohibitionis exercitii ministerii sacerdotalis recognoscendae (Rev.dus X – Con-
gregatio pro Clericis), 1 octobris 2024. Cf. Prot. n. 51677/16 CA.

Prot. n. 55648/21 CA
*Prohibitionis exercitii ministerii sacerdota-
lis recognoscendae*
(Rev.dus X – Congregatio pro Clericis)
Cf. prot. n. 51677/16 CA

SENTENTIA DEFINITIVA

IN NOMINE DOMINI. AMEN.

FRANCISCO PP. feliciter regnante,
Pontificatus sui anno XII, die 27 iunii
2024, Supremum Signaturae Aposto-
licae Tribunal, videntibus Em.mis ac
Rev.mis D.nis Dominico Card. Mam-
berti, *Praefecto*, Leonardo Card. Sandri,
Ponente, Iosepho Card. Versaldi, atque
Exc.mis et Rev.mis D.nis Petro Antonio
Pavanello et Aegidio Miragoli, interve-
nientibus Cl.mo Andrea Errera, utpote
Rev.di Recurrentis Patrono, Cl.ma Mar-
tha Wegan, tamquam Patrona Dicaste-
rii pro Clericis, atque Rev.mo P. Nico-
lao Schöch, O.F.M., Promotore Iustitiae
Deputato, in causa, de qua supra, hanc
definitivam tulit sententiam.

I. FACTI SPECIES:

Rev.dus X, die 14 octobris 1946 natus,
die 28 februarii 1976 pro Archdioecesi N
ordinationem sacerdotalem recepit.

Anno 2009 D.na R eundem Sacerdotem ob assertum modum sese gerendi erga eam, ad annum 1976 ascendentem, qui statui clericali dedecet (*inappropriate*), penes Ordinarium denuntiavit. Investigatione praevia peracta Exc.mus Archiepiscopus N exercitium ministerii sacerdotalis litteris diei 23 aprilis 2009 et decreto diei 15 iunii 2010 coegit, quod Rev.dus X tamen haud servavit.

Praecepto diei 7 iulii 2015 Rev.mus T, Vicarius episcopalis pro Clericis, Rev.do Recurrenti exercitium publicum ministerii sacerdotalis ex toto vetuit. Congregatio pro Clericis, recepto recursum hierarchico, decreto die 31 martii 2016 lato, omnes restrictiones in ministerio sacerdotali exercendo impositas confirmavit, adversus quod decretum Rev.dus X iam primum ad olim Congregationem pro Clericis et dein, adversus decretum reiectionis recursus hierarchici, ad H.S.T. recurrit, quod sententia definitiva diei 8 octobris 2019 statuit:

Constare de violatione legis in procedendo et [in] discernendo relate ad decretum a Congregatione pro Clericis die 31 martii 2016 latum, at Quoad damna resarcienda: a parte resistenti bona fama Rev.do Recurrenti modo apto restituenda est atque ei omnes expensae decursu causae factae et documentis comprobatae retribuendae sunt.

Qua sententia definitiva rite notificata, Congregatio pro Clericis litteris diei 25 maii 2020 Exc.mo Archiepiscopo modum exsequendi H.S.T. sententiam explanavit.

Exc.mus Archiepiscopus N Rev.do X dein decreto diei 14 septembris 2020 lato denuo octo restrictiones imposuit, quae die subsequenti modo summario in sito interretiali Archidioecesis publici iuris factae sunt.

Quam adversus impositionem idem Rev.dus X die 19 septembris 2020 remonstrationem, denique – nulla recepta responsione – recursum hierarchicum ad competentem Congregationem interposuit, quae, decreto impugnato ob sermonem poenalem improbato, die tamen 11 maii 2021 recursum hierarchicum reiecit.

Recurso rite interposito Em.mus H.S.T. Praefectus – decreto Exc.mi Episcopi iam die 14 septembris 2022 expirato – recursum in Congressu diei 25 novembris 2022 ad disceptationem coram Em.mis Exc.misque H.S.T. Iudicibus verbis admisit:

Recursum ad disceptationem coram Em.mis et Exc.mis Patribus Iudicibus admittendum esse atque facto admitti; atque declaravit: 1. Huc videndum erit in casu de illegitimitate actus administrativi, qui iam non viget, ratione petitionis refectionis damnorum ob assertum praeiudicium ab actu impugnato illatum. 2. Petitam proinde suspensionem concedendam non esse et non concedi.

¹ As is typical in a decree of the *Congresso*, the author is the Supreme Tribunal itself, which reaches its decision in the *Congresso* held before the Cardinal Prefect. Thus, in this case, the decree reads: «...in Congressu coram infrascripto Card. Praefecto die 25 novembris 2022 habito, SUPREMUM SIGNATURAE APOSTOLICAE TRIBUNAL decrevit...atque declaravit...».

Dubium die 25 ianuarii 2023 concordatum est adhibita formula: *An constet de violatione legis in procedendo vel in discernendo relate ad decretum a Congregatione pro Clericis die 11 maii 2021 latum et, quatenus affirmative: An et quatenam damna Rev.do X exinde illata sint et quomodo reparanda.*

Re inter Cl.mos Patronos et Rev.dum Promotorem Iustitiae deputatum rite discussa, Nobis nunc dubio concordato respondendum est.

II. IN IURE ET IN FACTO

A. De lite finita:

Etsi decretum diei 14 septembris 2020 ad biennium impositum et in recursu hierarchico coram Congregatione pro Clericis impugnatum, iam expiraverit, in causa de qua supra lis finita declarari nequit, eo quod Rev.dus Recurrens non solummodo declarationem invaliditatis decreti expirati, sed etiam refectionem damnorum expetivit. Decretum in Congressu H.S.T. die 14 martii 2008 in causa *Platen.*, prot. n. 37050/05 CA, latum tenet quaestionem de impugnatione ac proinde de illegitimitate actus administrativi, qui iam non viget, solummodo praetermitti posse "quoties nullum praeiudicium ex actu administrativo in casu de facto illatum probetur" (cf. sententia definitiva coram Lajolo, diei 7 novembris 2012, prot. n. 45695/11 CA, p. 3).

B. De illegitimitate actus administrativi, qui iam non viget, ob violationes legis in procedendo ab Exc.mo Archiepiscopo patratas et a Dicastero confirmatas:

Congregatio pro Clericis proceduram ab Exc.mo Archiepiscopo N adhibitam ad decretum nunc coram H.S.T. impugnatum proferendum, quo statuit se certitudinem moralem de fundamento accusationum non solummodo ex investigatione praevia, sed etiam ex tribus epistulis a Rev.do Recurrente eidem missis attigisse, quae de facto possibilitatem sese defendendi comprobarent, minime reprobavit. Decretum Exc.mi Archiepiscopi tantum vagis verbis de iure defensionis egit et iisdem limitationibus procedurae affectum manet, quas iam sententia H.S.T. diei 8 octobris 2019 denuntiaverat et quas Congregatio corrigere omisit, nempe quod nec Congregatio nec Exc.mus Archiepiscopus N "verbum quidem protulerunt circa gravia argumenta a Rev.do X allata contra accusationem: quod est defectus motivorum, quibus ad normam can. 51 quodlibet decretum muniri debet" (p. 5, n. 5).

C. De illegitimitate actus administrativi, qui iam non viget ob violationes legis in discernendo:

1. De impositione eorundem restrictionum, quas H.S.T. sententia definitiva diei 8 octobris 2019 illegitimas declaravit: in sito interretiali Archidioecesis tantum mutatio terminologica peracta est a "restricted ministry" ad "limited from some aspects of public ministry". Restrictiones pro Rev.do Recurrente minime ablatae sunt.

2. *De violatione art. 93 Legis propriae H.S.T.*: Congregatio pro Clericis in impugnato decreto plures sententias Em.morum Exc.morumque H.S.T. Iudicum rettulit, tacens tamen de unica decisione a Collegio Iudicum H.S.T. relate ad Rev.dum X lata, nempe de sententia definitiva coram Burke diei 8 octobris 2019, prot. n. 51677/16 CA.

3. *De credibilitate accusationum utpote unicuique fundamentum impositionis restrictionum*: Exc.mus Archiepiscopus – mōnitis sive Congregationis sive H.S.T. sententiae definitivae plane ignoratis – propria certitudine morali circa credibilitatem accusationum anno 2009 prolatarum, facta anno 1976 respicientium, in suo novo decreto iterum utpote causa principali restrictionum ministerii usus est.

Exc.mus Archiepiscopus pro iam certa ac demonstrata habet accusationem contra Rev.dum X, quamquam de praefatis accusationibus numquam processus poenalis peractus fuerit: *I was convinced there was a substantial violation of the sixth commandment of the Decalogue against a minor by a cleric nearly twice the age of the minor.*

Exc.mus B a perito recepta versione anglica H.S.T. sententiae definitivae diei 8 octobris 2019, in nova declaratione interretiali diei 15 septembris 2020 erronee asserit sententiam affirmativam tantum ob disputationem circa aetatem mulieris denuntiantis latam fuisse. Exc.mus Archiepiscopus oblitus est, sententiam definitivam coram Burke ne assertum peccatum contra sextum anno 1976 pa-

tratum et anno 2009 denuntiaturum quidem utpote probatum consideravisse, quamquam id ibi expressis verbis statutum fuisset: "Nullo pacto prohibitiones impositae super hoc fundamento, sola nempe accusationis credibilitate, sustineri possunt".

Cum Em.mus Praefectus Dicasterii pro Clericis in epistula diei 25 maii 2020 merito animadvertisset restrictiones nec lege universali nec lege particulari fundatas nec umquam certitudine morali probatas fuisse, Congregatio confirmando alterum decretum Exc.mi Archiepiscopi propriam epistulam diei 25 maii 2020 confutavit.

4. *De criterio proportionalitatis relate ad impositionem restrictionum quoad exercitium ministerii*: Exc.mus Archiepiscopus N Rev.do X ius ad publicam eucharistiae celebrationem tantum in circumstantiis extraordinariis et singillatim obtenta licentia scripta Ordinarii loci restituit:

1) *Rev. X may only celebrate, the Most Holy Eucharist publicly with my permission or the permission of my Episcopal Vicar for Clergy Discipline. (...) It is my determination that permission will not generally be given for regularly scheduled parish celebrations for the Most Holy Eucharist; only in extreme or urgent situations will permission be granted in these circumstances ...*

Haec restrictio exsulat ab obligatione generali sacerdotum ad normam can. 561 licentiam rectoris ecclesiae ante Eucharistiae celebrationem petendi: *Sine rectoris aliusve legitimi Superioris licentia, nemini licet in ecclesia Eucharistiam ce-*

lebrare, sacramenta administrare aliasve sacras functiones peragere; quae licentia danda aut deneganda est ad normam iuris.

Exc.mus Archiepiscopus Rev.do X facultatem praefatam licentiam a Rectoribus ecclesiae ad normam iuris petendi abstulit, quamquam agatur de licentia, quae ad normam can. 903 concedenda est: *dummodo aut litteras commendatitias sui Ordinarii vel sui Superioris, saltem intra annum datas, exhibeat, aut prudenter existimari possit eundem a celebratione non esse impeditum.*

Cum H.S.T. iurisprudentia pugnat detractio vel reductio iuris celebrandi publice Eucharistiam ad rarissimas occasiones a loci Ordinario singillatim concessas, cum principio proportionis quoad eius causam in impugnato Congregationis decreto indicatam, omni ex parte incompatibilis evadit, cum de facultate ipso iure ad omnes presbyteros spectante agatur (sententia definitiva coram Stankiewicz diei 25 apr. 2018, prot. n. 52364/16 CA, n. 15).

Etiam ceterae facultates sacerdotales Rev.do Recurrenti solummodo pro circumstantiis extraordinariis et singillatim petendae restitutae sunt.

5. *De criterio proportionalitatis relate ad prohibitionem petendi facultates speciali concessione collatas:*

Accurate nunc videndum erit de criterio proportionalitatis intra periculum, quod Rev.dus X huc constituere posset, et singulas restrictiones, a Congregatione pro Clericis confirmatas.

Minime agitur de facultatibus, quae ad ambitum discretionalitatis Ordinarii pertinent, videlicet facultas excipiendi confessiones, sed de licentia ad sacramentum unctionis infirmorum conferendum. Ad petendam hanc licentiam Rev.dus Recurrens iuxta decretum Exc.mi Archiepiscopi sese dirigere deberet ad ipsum Exc.mum Archiepiscopum, ad Rev.mum Vicarium episcopalem pro Clericis vel ad Vicarium pro disciplina clericorum. Leges Ecclesiae competentiam parochi in assistentia nuptiarum et in administratione baptismi requirunt, cum recens decretum Exc.mi Archiepiscopi ad familiares necnon ad expressam licentiam Exc.mi Archiepiscopi vinculaverit.

Decretum Exc.mi Archiepiscopi, a Dicastero confirmatum, cum criterio proportionalitatis, in H.S.T. sententia diei 14 decembris 2021 in causa prot. n. 55056/20 CA exposito, minime congruit: *Restrictum fere ex toto exercitium omnium facultatum sacerdotalium, ... valde appropinquat poenae dimissionis e statu clericali, quae quidem poena nonnisi ob delicta gravissima in iure bene definita, normis processus poenalis adhibendi sedulo servatis, et certitudine morali de delicto gravissimo eiusque imputabilitate obtenta, imponi potest. ... Poena in casu irrogari non potest, sed de facto citra delictum et sine processu poenali restrictio imponitur quae gravissimae poenae aequivalet ... (n. 11).*

6. *De periculo scandali*

In casu non exstat periculum scandali, quia in decreto Exc.mi Archiepiscopi

minime indicatur accusatio de delicto contra Sextum in personas, quae iuxta legem tunc vigentem, scilicet anno 1976, utpote minores consideratae sunt, nec exstat periculum causae in foro civili contra Archidioecesim N instauraturae nec sufficit periculum hypotheticum a notitiis imprudenter ab Archidioecesi ope interretiali divulgatis: *opinio publica qua quis mala fide facile abuti potest ad grave damnum alicui inferendum; nec accusationibus sufficientem probationem suppeditat, neque [ad] gradum legitimae causae ad irrogandam prohibitionem administrativam exercitii ministerii sacri assurgit...* E contra, hostili opinioni publicae cessio..., praeter illegitimitatem actus et iniustitiam, in plures errores inducit, gravia damna inferentes sive bonae famae ipsius sacerdotis... sive disciplinae canonicae (sententia definitiva diei 26 ianuarii 2019, coram Stankiewicz, prot. n. 52041/16 CA, n. 14).

Deficientibus rationibus bonum minorum tuendi et scandalum vitandi, deest aequa ratio cum gravissima restrictione exercitii muneris sacerdotalis ope decreti disciplinaris Rev.do X imposita.

7. De deficiente probatione novi motivi restrictionum, nempe inoboedientiae Rev.di Recurrentis erga Exc.mum Archiepiscopum:

Exc.mus Archiepiscopus in epistula diei 31 martii 2021 ad Congregationem pro Clericis iterum facta diu praeterita adducit, nempe violationem restrictionum annis 2009 et 2010 impositarum,

¹ [Trans.: For the full text of the cited definitive sentence, see «Ius Canonicum» 63 (2023), pp. 381-400.]

quae sententiam definitivam H.S.T. diei 8 octobris 2019 diu praecedunt. Decretum Congregationis pro Clericis diei 11 maii 2021 adductas inoboedientias utpote obiectum recursus haud agnovit, sed ad confirmandas restrictiones iterum cooperationem Rev.di Recurrentis in opera v.d. C ad praeveniendos abortos reprehendit. Praefata cooperatio decretum Exc.mi Archiepiscopi anni 2015, quod recitat *may not (...) exercise directive functions in ecclesiastical organizations*, minime violavit, quia v.d. C haud inter v.d. *ecclesiastical organizations* enumeranda erat atque Rev.dus X tempore emanationis decreti in recursu hierarchico impugnati iam omni actuositati in praefata opera definitive renuntiaverat. Congregatio pro Clericis ergo inepte asserit hoc modum agendi Rev.di Recurrentis, diu praeteritum, huc defectum discretionis iudicii patefecisse, qui causam sufficientem ad exercitium publicum ministerii sacerdotalis iterum coarctandi constitueret.

Inepte Congregatio pro Clericis epistolam Rev.di X anni 2002 refert, quae dubia Rev.di Recurrentis relate ad doctrinam de abortu contineret, omisso quod Rev.dus Recurrens de hoc errore doctrinali scripte veniam petiit et publice adhaesionem ad magisterium Ecclesiae professus est.

Inepte Congregatio praeterea malam administrationem bonorum in paroecia adduxit, ubi annis 2004-2008 officium parochi expleverat, quae a legislatore inter rationes amotionis ab officio parochi enumerata est (cf. can. 1741, n. 5)

et etiam tamquam abusus officii poena canonica (cf. can. 1389) puniri potest. Quaecumque actio poenalis canonica vel civilis interdum praescripta est. Ipse Rev.dus Recurrens sponte sua exiguum damnum a propria neglegentia provocatum iam refecit.

8. De omissione restitutionis bonae famae:

Restitutio bonae famae ab H.S.T. sententia definitiva diei 8 octobris 2019 statuta est et ipsum Dicasterium pro Clericis in litteris diei 25 maii 2020 ad Exc.mum Archiepiscopum postulavit ut executionem daret statuens publicationem partis dispositivae sententiae. Exc.mus B sive instructiones H.S.T. sive Dicasterii pro Clericis ex toto ignoravit, immo propriam interpretationem H.S.T. sententiae publicavit, iuxta quam H.S.T. modum sese gerendi confirmavisset, qui clericis dedecet (*inappropriate*) cum minore duodeviginti annorum, quo motivo nisus novas restrictiones imposuit.

In discernendo ergo detractio vel reductio iuris celebrandi publice Eucharistiam ad licentiam in circumstantiis extraordinariis a loci Ordinario singillatim concessam, iuxta exemplum in impugnato decreto Congregationis adductum, concelebratio in missa exsequiali, cum principio proportionis quoad eius causam in eodem decreto indicatam, omni ex parte incompatibilis evadit, cum de facultate ipso iure ad omnes presbyteros spectante agatur. Re enim Exc.mus Archiepiscopus N celebrationem eucharistici Sacrificii coram populo ita coarctavit, ut singulis tantum in casibus licentia loci Ordinarii

requireretur. Idque componi nequit cum erronea causae prohibitionis interpretatione ab impugnato decreto proposita.

D. De refectioe damnorum:

Rev.dus X in epistula diei 16 augusti 2020 ad Exc.mum B restitutionem ingentium expensarum processualium et honorariorum sive in foro civili sive in foro canonico inde ab anno 2009 solutas postulavit:

reimbursement of all expenses incurred in undertaking my defense: since my removal from ministry by you in April of 2009. The amount of the financial damages are: \$ 89,773.94. Sententia definitiva H.S.T. diei 8 octobris 2019 iam statuit restitutionem expensarum in foro canonico. Archidioecesis N Rev.do Recurrenti summam 12100 \$ solvit: Please know that the Archdiocese of N paid Reverend X \$12,100, which corresponds to the amount he presented to me for reimbursement.

Rebus sic stantibus, quaestio solummodo est utrum, necne, Rev.do X ulterior restitutio competat expensarum in foro canonico reapse factarum in recurrendo adversus decretum Exc.mi Archiepiscopi diei 14 septembris 2020 et Congregationis pro Clericis diei 11 maii 2021 seu restitutio cautionis et aequi honorarii Patrono ad rem solvendi vel soluti. Censendum est huiusmodi restitutionem ex iustitia requiri.

III. CONCLUSIO:

Omnibus tum in iure tum in facto aequerimatis, infrascripti Patres, Christi Nominis invocato, pro Tribunali sedentes ac solum Deum prae oculis habentes,

dubio proposito respondendum esse decreverunt atque respondent:

Affirmative, seu constare de legis violatione in decernendo relate ad decretum a Congregatione pro Clericis die 11 maii 2021 latum, sed tantum quoad restrictiones relate ad celebrationem Eucharistici Sacrificii coram populo impositas.

Quod attinet ad refectionem damnorum, ab Archidioecesi solvendae sunt expensae inde a recursu diei 30 octobris 2020 ad olim Congregationem pro Clericis, incluso honorario eius Patroni. Relate ad damnum non patrimoniale, mens est ut Archidioecesis, infra mensem ab hac sententia rite publicata, notitiam a H.S.T. exaratam statim publici iuris faciat in ephemeridibus Archidioecesis eiusque situ interretiali.

Datum Romae, e sede Supremi Signaturae Apostolicae Tribunalis, die 27 iunii 2024.

(Signati)

Dominicus Card. MAMBERTI, *Praefectus*

✠ Leonardus Card. SANDRI, *Ponens*

Iosephus Card. VERSALDI

✠ Petrus Antonius PAVANELLO

✠ Aegidius MIRAGOLI

Et notificetur.

Die 1 octobris 2024

✠ Andreas RIPA

Episcopus tit. Caeretanus

Secretarius

Mons. Marius LEITE DE OLIVEIRA

Praepositus Cancellariae